

claratione Prælati? affirmat Passerinus. At quo fundamento, non video. Sufficienter enim habetur obligatio sub culpa eu-

Contra Jus; quia in eodem Prologo eodem §. 4. sic habetur: *Pœnis tamen absolutiois ab officio, privationis vocis acti-*

Dixi 2. *Transgressionem Regule & Constitutionum hujusmodi non esse culpam ex parte operis; posse tamen esse culpam ex parte operantis.* Et hoc triplici modo, inquit S. Th. (Ib. ad 1.) scilicet ex negligentia, libidine, & contemptu. Explicatur. Ex negligentia, cum quis absque rationabili causa, seu sine honesto movetur ad non implendum statutum; censetur enim negligi statutum, seu lex, quando sine rationabili causa non servatur; agere autem etiam in indifferentibus absque rationabili causa est peccatum veniale. Quod si ex honesto fine & rationabili causa Regulam transgreditur, non solum non peccat, sed facit actum virtutis; virtus enim est agere ex motivo honesto indifferentia, qualis est in casu transgressio legis quoad substantiam, vi decreti non obligantis ad culpam.

Sed statim insurgit difficultas, quomodo obligatur ad poenam ille, qui non solum non peccat, sed facit actum virtutis, poena enim non debetur nisi culpæ. R. Poenam hic non sumi specialiter pro vindicta peccati, sed communiter pro poenitate, ad quam quis sponte ex pacto se obligavit, quod potest contingere etiam actus, aut omisso, ex qua contrahitur hæc obligatio, sit virtuosa; sic v. gr. in contractu, in quo maneat libertas a culpa aliquid agendi, vel non agendi, cum pacto tamen, ut qui omittit, solvat tantum; si omisso fiat ex motivo honesto, erit virtuosa, & tamen omittens tenebitur solvere summam conventam. Similiter inter Religionem & Religiosum in initio contractus servandi Regulam, sic tamen ut qui non servat, sit liber a culpa, sed teneatur subire talem poenam. Unde, qui omittit servare Regulam ex fine honesto, v. gr. qui frangit silentium, ut consoleretur amico afflicto, virtuosè agit; & tamen teneatur subire poenam conventam, nisi forte sit talis causa, ut merito præsumatur in ea Superiori dispensare in lege, aut per Episcopum intelligatur in hoc casu regulam non obligare.

Ex libidine. Libido, seu cupiditas est inordinata voluntas, qua aliquid concupiscitur plusquam dicat recta ratio. Est ex genere suo peccatum veniale. Unde Religiosus, qui v. gr. ex sensualitate seu nimia cupiditate cibi violaret jejunium regulare, aut ex nimia curiositate, seu loquacitate frangeret silentium, peccaret venialiter. Ex contemptu. (Ibid. art. 3.) Tunc aliquis transgreditur Regulam ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subijci ordinationi legis, & ex hoc procedit ad faciendum contra illam; si enim propter aliquam causam particularem, puta, concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statutum Legis, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili Legem transgrediatur; frequentia tamen peccati dispo-

tive ad contemptum inducit. Duplex autem debet distingui contemptus, perfectus, & imperfectus. Perfectus est, quando quis renuit in toto subijci Superiori, vel Legi, & transgressio ex tali contemptu procedens, etiam in re levi, est tempè peccatum mortale; quia, licet res sit levis, intentio tamen, qua directè tendit contra totam superioritatem, importat gravem injuriam. Imperfectus contemptus est, quando quis renuit subijci Superiori, vel Legi in aliqua re tantum sive gravi, sive levi, paratus ipsi obedire in aliis. Transgressio ex tali contemptu, si sit in gravi, est mortalis; si in re levi, est venialis.

Petes 1. Utrum in ordine Prædicatorum præceptum, non impositum sub hac forma: *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ; sed sub alia æquivalenti, puta, in virtute Spiritus S. sub formati præcepto, vel simili obliget sub mortali?* R. Ledesma & Sanchez tenere partem affirmativam; quia, cum Prælati habeat jus obligandi, & præceptum nihil sit aliud quam ejus absoluta voluntas sufficienter significata subdito, nihil interest, quod Prælati utatur hæc, vel illa forma, si sufficienter suam voluntatem absolutam manifestet.

Verùm Passerinus mordaciter tenet partem negativam ex illo textu Prologi Constitutionum ejusdem Ordinis §. 4. *Præceptum autem in Regula nullum... contineri volumus & declaramus & idem in Constitutionibus, nisi ubi ponitur sententia Excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum, Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ.* Et hoc idem in Ordinationibus & Prælatorum verbis & litteris intelligi volumus. Ex quo sic arguit. 1. Lex ista non est affirmativa, sed negativa, concepta per hæc vocem nullum, quæ universalissimam negationem importat, & significat, quod sub quacunque alia forma verborum concepta ordinatio Prælati, vel statutum, non sit rigorosum præceptum, nec habeat vim obligandi. 2. Illa Constitutio vult, quod in Ordine Prædicatorum nulla forma verborum æquivalcat huic: *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ; voluit enim Constitutio tollere omnem ambiguitatem, difficultatem, & scrupulum, & quod omnino manifestum sit quando Prælati præcipiunt, & idèd non vult, Prælati licere uti alia forma etiam æquivalenti.*

Undè ad rationem Sententiæ oppositæ negat suppositum; quoniam in hoc Ordine voluntas Prælati, ut obligans sub mortali, non potest sufficienter innoscere per alia verba, cum Lex omnia alia verba reddat insufficientia ad id præstandum.

Hæc rationes habent suam probabilitatem; & licet fortè non plene convincant, juvenis saltem, ut Prælati ad cautelam non omittant in suis præceptis hæc verba: *In virtute sanctæ obedientiæ.*

Petes 2. Utrum Religiosus eodem genere peccati gravius peccet, quam secularis? R. (Ibid. art. 10. o.) Peccatum Religiosi esse gravius diversimodè. 1. Si sit contra votum & simul contra Legem Dei, vel Ecclesiæ, puta, si fornicetur, aut foretur; tunc enim præter malitiam luxuriæ, aut injustitiæ includit malitiam sacrilegii. 2. Ratione majoris ingratitude propter majora beneficia a Deo accepta. 3. Ratione scandali, si peccatum ejus sit publicum; quia ad vitam Religiosi ut ad exemplar virtutum respiciunt seculares.

Aliquodè (Ibid.) tamen peccatum Religiosi est levius; quia, si sit veniale, quasi absorbetur multitudine bonorum operum, quæ fecit: si vero sit mortale, facilis & citius ab eo resurgit, tum propter consuetudinem rectæ intentionis, quæ licet sit ad horam interrupta, facilis per Dei gratiam reparatur ex restantibus reliquiis pristinae pietatis: tum quia ad resurgendum juvatur a Fratribus per salubres exhortationes & ferventes preces.

DISSERTATIO II.

DE CLAUSURA, TAM RELIGIOSORUM, QUAM MONIALIUM.

CUM Clausura, ut jam observavimus, sit inducta pro melius servandis votis, præsertim voto continentiæ; præcedenti Dissertationi, ubi egimus de votis, Dissertationem de clausura subijcio.

Spectari autem potest Clausura, vel quoad egressum Religiosorum & Monialium e Monasterio; vel quoad ingressum mulierum in Monasterium virorum, & ingressum virorum & mulierum in Monasterium Monialium. Undè sit

ARTICULUS I.

De Clausura Religiosorum quoad Egressum.

Nota 1. Clausura dicitur a Claustro; Clausura autem est Monasterium pro eodem tumuntur apud Canonistas; & est locus, in quo clauduntur Religiosi & Moniales ad quietius Deo vocandum. Sumitur etiam pro obligatione non egrediendi e Monasterio, & non ingrediendi Monasterium sine licentia. Nota 2. non esse eandem rationem Clausuræ respectu egressus Religiosorum e Monasterio, & respectu ingressus mulierum in Monasterium, Et enim respectu mulierum ingrediendum, Ecclesia, Chorus, Sacristia, Atrium, seu Locutorium, non sunt intra Clau-

tam. Respectu vero Religiosorum egredientium, ista loca sunt intra Clausuram; sicut enim mulier ingredi Ecclesiam, Chorum, Sacristiam, Locutorium, non dicitur ingredi Clausuram; ita Religiosus vadens ad ista loca non dicitur egredi e Clausura. Nota 3. etiam esse aliam rationem Clausuræ Religiosorum, & Clausuræ Monialium. In Clausura Religiosorum idem locus potest esse extrà Clausuram respectu ingrediendum & intrà Clausuram respectu egredientium, ut patet ex præcedenti notamine; ità ut mulieris & Religiosi possint esse simul in eodem loco absque violatione Clausuræ. At verò in Clausura Monialium idem locus non potest esse extrà Clausuram respectu secularium ingrediendum; & intrà Clausuram respectu Monialium egredientium; sed quicumque locus, ad quem accedere possunt seculares, ut Ecclesia exterior, Locutorium exterius, sit extrà Clausuram respectu Monialium egredientium, & quicumque locus, ad quem accedere possunt Moniales, est intrà Clausuram respectu secularium ingrediendum. Ità ut Moniales & Seculares non possint accedere ad eundem locum absque violatione Clausuræ.

Id eruitur ex Bulla Deo sacris Gregor. XIII. data 1572. §. 6. *Cæterum, ubi sic statuitur: Declaramus præterea, nullis Monialibus, etiam Tertiariis, licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriori, in quam Secularibus ad Missas & divina Officia patere solet aditus, sed omnino nullo obstruendum: neque vitium licere Monialibus, etiam Tertiariis, egredi janua Monasterii, quæ est pro Clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem janua, per quam patere solet aditus Secularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquis destinata, quæ vulgò Parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam janua Clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere solent Secularibus, extrà Clausuram ceteri debent, etiam tempore quo clausa sunt.* Ex quo inferunt generaliter Auctores, ea omnia loca, ad quæ Secularibus patet liber aditus, esse extrà Clausuram respectu Monialium egredientium; & vicissim ea omnia loca, ad quæ Monialibus patet liber aditus, esse intrà Clausuram respectu secularium ingrediendum; ità ut sine violatione Clausuræ, nec Seculares accedere possint ad ea loca, ad quæ accedunt Moniales; nec Moniales ad ea loca, ad quæ accedunt Seculares.

Dico 1. Exitus e Monasterio sine licentia Superioris non videtur prohibitus Religiosi Jure communi. Quamvis enim causa 19. q. 1. multis Canonibus prohibetur exitus Monachis, non tamen prohibetur ut exitus simpliciter, sed ut talis exitus, nempe ad malum finem, seu ad exercenda munia Ecclesiastica, tunc Monachis interdicta. Concilium Trid. Sess. 25. art. 4. de Regular. prohibet quidem Religiosis, a suis Conventibus recedere sine licentia, sed recessus importat non simplicem exitum, sed exitum ad multam distantiam & multum tempus. Quantum ad Constitutionem Clementis VIII. de Reform. Regularium, confirmatam ad Urbano VIII. qua exitus simplex prohibetur, videtur in multis casibus non esse us receptum.

Dico 2. Egressus e Monasterio sine licentia est prohibitus Religiosis ex usu & consuetudine. Patet ex praxi omnium Religionum, in quibus hujusmodi egressus semper habitus fuit, ut res gravi poena multatur.

Dico 3. Supposita institutione & professione vitæ cœnobiticæ, ejusmodi egressus sine licentia, non solum usu & consuetudine, sed etiam Jure naturali videtur prohibitus. Quia Religio cœnobitica est cœtus virorum, in eodem loco sub obedientia Superioris viventium; atqui juxta S. Th. hic q. 186. art. 5. ad 4. votum obedientiæ se extendit ad dispositionem totius vitæ humane, ità ut Religiosus teneatur obedire pro quocumque loco & tempore; ergo, vi status cœnobitici & voti obedientiæ, Religiosus non potest exire e Cœnobio nisi sciente & consentiente Superiore; alioquin exit ab obedientia, quam vovit, cum se ponat in statu, in quo Superior non potest pro eo tempore illi præcipere.

Hinc inferes, egressum ejusmodi sine licentia, etiam abstractendo a pravis circumstantiis, puta, contemptu, malo fine, scandalo, gravi damno, & simul præscindendo a specialibus statutis Religionum, in quibus magis, vel minus strictè Clausura præcipitur, esse secundum se peccatum mortale ex genere, utpotè contra votum obedientiæ & justitiam Prælati debitam. Hoc ipso enim quo Religiosus vi voti obedientiæ se obligat ad obediendum Prælato pro omni loco & tempore, simul se obligat ad non recedendum a statu & loco obediendi; quod facit, si e Monasterio, quod est locus obedientiæ, recedat, Prælato respectante & non consentiente. Fit autem veniale ex levitate materiæ, ità ut Religiosus teneatur obedire pro quocumque loco & tempore. Consent Donatus & Passerinus, duos vel tres dies esse brevè tempus; si sit ad diuturnius reputabitur egressus fugitivus. Dicitur autem Religiosus fugitivus, qui ad notabile tempus exit sine licentia e Monasterio, cum animo re-

cedendi Apostata dicitur, qui exit sine animo redeundi, etiamsi retento habitu. Nullum autem erit peccatum exire e Monasterio sine licentia, imò ea denegata, si sit gravis & manifesta necessitas exeundi, quæ moram non patitur, ut ad absolvendum moribundum: tunc enim, Superiore locali irrationabiliter recusante, adest præsumpta licentia Juris & majorum Superiorum.

Petes, utrum egressio furtiva & nocturna sit semper peccatum mortale? R. partem affirmativam a multis teneri: quia ex Clemente VIII. est casus reservabilis; non reservantur autem nisi peccata mortalia. Id tamen videtur dubium Passerino, si agatur de egressione præcisè furtiva & nocturna, si fiat de nocte, sed ante totalem & ultimam clausuram portarum (ut dùm in hyme non clauduntur statim ab initio noctis) & fit reclusio antiquam portæ ultimè & totaliter claudantur, non debeat censeri nocturna egressio quoad reservationem; quia hoc tenus est velut complementum diei concessum exitui ad negotia; & idèd talis brevis egressio debet reputari inter diurnas in materia odiosa, qualis est reservatio casuum.

ARTICULUS II.

De clausura Religiosorum quoad Ingressum?

Dico. Prohibitum est mulieribus quibuscumque usum rationis adeptis, sub poena excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, ne accedant, aut præsumant ingredi Monasteria Religiosorum, nisi in certis casibus: ipsis vero Religiosis, ne illas introducere, admittere præsumant, sub poena privationis Officiorum, quæ in presentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis a Divinis ipso facto, sine alia declaratione incutenda. In probationem hujus Conclusionis proferuntur Bulla S. Pii V. Regularium personarum, data Romæ 23. Octobris 1566. & Bulla Gregorii XIII. Ubi gratiæ, data Romæ idibus Junii 1575. Sed veritas est, quod istæ Bullæ, illorum verbis præcisè sistendo, non loquuntur de quibusvis mulieribus, sed de iis solum, quæ sub prætextu quorundam Privilegiorum ingredi præsumunt: undè illis præcisè stando, non probatur integrè Conclusio.

Verùm Pius V. in altera Bulla, *Decret Romanum Pontificem* data Romæ 16. Julii 1570. apud Confessarium pag. mibi 147. Edit. Colon. declarat, mentem suam in priori Bulla fuisse comprehendere, non solum mulieres habentes, seu præsumentes habere privilegia ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes & quascumque alias, tam in genere, quam in specie: nihil autem tale habemus ex Gregorio XIII. licet quidem dicant, sic etiam explicuisse suam mentem: sed id neque certum est, neque authenticum. Undè solum utrique Bullæ Planæ insistent; omnia quoad generalitatem mulierum Bulla Gregoriana, maxime cum contineat aliquid, quod non continetur in Bullis Planis; subijcit enim Excommunicationi Papæ reservatæ, non solum mulieres ingredientiæ, sed etiam Prælatos ingredi facientes, aut permitteutes; quod non habent Bullæ Planæ. Porro tota nostra Conclusio in hac utraque Bulla Planæ continetur: undè indiget tantum explicatione, itaque

Dicitur 1. *Mulieribus quibuscumque*: id est, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, & quacumque dignitate, ac præminencia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis. Sunt verba Bullæ. Non nominantur Imperatrices & Reginae, nec earum filiz: undè & propter maximam earum dignitatem Auctores communiter eas excipiunt cum suis sequacibus. Idem eisdem rationibus quidam censent de Principissis. Quantum ad Fundatrices quidam eas etiam excipiunt, tum eadem ratione, quia non nominantur; tum quia domum suam ingrediuntur. Alii autem non excipiunt.

Dicitur 2. *usum rationis adeptis*; quia puellæ ante usum rationis, cum ad peccatum incitare non valeant, quod intendit vitare Summ. Pontifex; & idèd respectu illorum cesset finis legis, possunt intrare. Non tamen adultæ fatuz; quia, licet non sint præcepti capaces, & idèd non peccent intrando, peccant tamen & poenis subijciuntur, qui introducent; quia movere possunt ad peccatum. Dicitur 3. *Sub poena Excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ*; a qua tamen absolvere possunt extrà Italiam Confessarii Mendicantium; vi suorum privilegiorum.

Dicitur 4. *Ne audeant, vel presumant*, id est, ex malitia & certa scientia; id enim impertant audacia & presumptio. Multum ergo, quae ignoraret, etsi vincibiliter, hinc prohibitionem, vel bona fide, aut ex simplicitate crederet id non esse malum, nec censuris obnoxium, etsi forte posset peccare venialiter, non tamen incurreret Excommunicationem, cum non feratur nisi in contumaces, praesertim ista; quia dicitur in Bulla: *Postquam harum Litterarum notitiam habuerunt*. Unde raro mulieres ingredientes Monasteria Religiosorum incurrunt Excommunicationem. Dicitur 5. *Ingressi Monasteria Religiosorum*. Nomine Monasterii intellige tantum Claustrum, Dormitorium, seu Domum, & Officinas interiores: sic declarant Summ. Pontifices Innocentius V. Nicolaus III. & Gregorius IX. in expositione Regulae Minorum, vetantis dictum ingressum. Et in Constitutionibus nostris Dist. 2. cap. 1. §. 5. simpliciter dicitur: *Mulieres Claustrum, vel Oratorium, vel alias Officinas nostras nunquam ingrediantur*. Unde Ecclesia, Chorus, Locutorium, Sacristia, Chors (*Basse Cour*) Officinarum exteriores adjectae Monasterio, non sunt intra Claustrum respectu mulierum ingredientium, si ad haec loca pateat aditus non transeundo per Monasterium.

Dificultas est de horto contiguo, qui continetur intra ambitum muri continui, deservit deambulationi Religiosorum. R. ex laudatis Pontificibus probabiliter non esse intra claustrum respectu mulierum ingredientium, si ad illum ingrediantur non transeundo per Monasterium; quia neque est Claustrum, neque Dormitorium, neque Domus, neque Officina interior.

At dices: Gregorius XIII. in sua Bulla, de qua supra, prohibet intrare *Monasteria & Loca*: Hortus autem est locus Monasterii: ergo. R. Praeterquam quod haec Bulla, ut jam dixi, non spectet nisi mulieres, quae sub praetextu alicujus Indulti praesumunt intrare per Monasteria & loca, nihil aliud importat quem quae diximus ex praedictis Pontificibus, scilicet Claustrum, Dormitorium, seu Domus, & Officinas interiores: alioquin, si etiam intelligas hortum, quia est locus Monasterii, eadem ratione debes intelligere Ecclesiam, Chorum, Sacristiam, Locutorium, &c. sunt enim etiam loca Monasterii, sicque ea contineri intra Claustrum; quod est falsum.

Inferes. Ergo etiam hortus Monialium Monasterio contiguus, & earum ambulationi, & recreationi deserviens, erit extra Claustrum respectu Saecularium ingredientium; praesertim cum Nicolaus III. cap. *Exiit* de verborum signific. in 6. §. *Denique*, cui innititur resolutio nostra, loquatur de Monialibus, cum dicit: *Et nomine Monasterii, volumus, Claustrum, Domos, & officinas interiores intelligi*; atqui falsum consequens; certum est enim, Hortum, Monialium, Monasterio contiguum, earum deambulationi servientem, esse intra Claustrum respectu Saecularium ingredientium: ergo. R. Esto forte posset admitti illatio, sistendo Bullae Nicolai III. secus tamen attento Jure posteriori Gregorii XIII. qui Bulla *Deo sacrus*, de qua Notamine 3. Art. 1. hujus Dissert. declarat omnia loca, ad quae Saecularibus patet liber aditus, esse extra Claustrum respectu Monialium egredientium; & vicissim omnia loca, ad quae Monialibus liber patet accessus, consequenter hortum deservientem earum recreationi, esse intra claustrum respectu Saecularium ingredientium. Vide Bullam usum cit.

Oppones tandem usum communem, juxta quem hortus contiguus reputatur intra Claustrum, ab eoque ideo arcetur foeminae. R. 1. falso supponi universaliter hunc usum communem; nam Joannes De La Cruz Hispanus dicit, usum esse contrarium. Et Passerinus refert Romae in Conventu S. Xisti hortum contiguum, valde amplum, intra ambitum ejusdem muri contentam, per simplicem sepeam, seu fossam in duas partes dividi, & unam partem locari Saecularibus, ad quam tamen etiam accedere possunt Religiosi. 2. Est in aliquibus locis iste usus sit communis; vel oritur ex opinione plurimorum, quod hortus contiguus vi legis contineatur sub clausura respectu mulierum ingredientium, quod, cum, secundum nos, fundetur in falsa praesumptione legis, non obligat; vel oritur ex eo quod sit magis decens, & magis conveniens ad removendum periculum, & occasionem peccandi, quamvis non censetur intra Claustrum: quem usum maxime probo, & sedulo servandum consulo. Ceterum in propositam sententiam eo facilius adducor, quod, cum leges Claustrae sint poenales, & in materia odiosa, sint potius restringendae, quam extendendae. Haec tamen, salvo meliori judicio. Item nomine *Monasterii* non intelliguntur, nec ideo legibus Claustrae adstringuntur Hospitia, Prioratus, Vicariatus, & similia loca, in quibus divinum Officium non celebrant communiter. Denique notandum, non receptum esse, quod Claustrum, tam Religiosorum, quam Monialium, non sit observanda quoad ingressum, quando per destructionem muri, aut parietis, vel per aliquid aliud est fracta. Excommunicat planè nobis videtur, quod Pontas verbo *Monasterio* Casu 6. dicit, hunc usum, seu consuetudinem esse abusum; quia, inquit, est

contraria Constitutionibus Canonice: quasi verò consuetudo non possit praescribere, & quotidie non praescribat contra Constitutiones Canonice. Id negare, est negare principium ab utroque Jure Canonico & Civili, a S. Thoma, & ab omnibus Theologis unanimiter asertum, atque quotidianè experientiae aperte contradicere. Numquid enim in omnibus Regnis, maxime in Christianissimo Galliae Regno, vigent usus & consuetudines contrariae variis Constitutionibus Canonice tum Pontificum, cum Conciliorum?

Dicitur 6. *nisi in certis casibus*. Possunt enim mulieres licite, & libere ingredi Claustra, & loca regularia Religiosorum, quando in eis Missa, & alia divina Officia celebrantur: dum Processiones fiunt, consequenter dum deferuntur processionaliter Viaticum ad infirmum: quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt: quando in eis verbum divinum annuntiatur: item quando est tantus concursus populi, ut Ecclesiae porta non sufficiat ad commodum ingressum & egressum; tunc enim licet mulieribus ingredi, vel egredi per portam Claustrum, recto tamen tramite. Hi omnes casus continentur in laudata Bulla S. Pii V. *Decet Romanum Pontificem*.

Verum circa haec dubitatur 2. utrum Superior possit instituire Processionem eo fine, ut mulieres ingrediantur? 2. utrum mulieres possint intrare ante tempus celebrationis Officii, & ipso peracto ibi manere? 3. utrum possint progredi ad alia loca? R. ad 1. Superiorem id non posse; quia abuteretur sua potestate. Ita communiter videtur, quod neque ipse, neque mulieres intrantes, incurrerent poenas; quia non agunt contra legem: imò quod neque mulieres peccent; quia non ad ipsas pertinet iudicare de justitia Processionis, & utrum jure suo, ad 2. cum mulieres non possint esse in dictis locis, nisi quando divina Officia celebrantur, peccant, si notabiliter tempus praevenerint, aut eo peracto notabiliter remaneant; secus, si neque anticipatio, neque mora sit notabilis; quia res morales non consistunt in indivisibili, sed admittunt latitudinem moralem ad arbitrium prudentum. Ad 3. pariter peccant progrediendo ad alia loca; quia ipsis tantum conceditur ingredi loca, ubi celebrantur divina Officia.

Quantum verò ad excommunicationem; existimo, quod in hoc ultimo casu, neque in praecedenti saltem diuturnioris morae, non incurrant; quia videtur lata tantum in ingredientes indebite, non autem in ingressas debite diutius commorantes, aut ultra progredientes. Ita Bonacin. Q. 5. de Claustrum, Puncto 4. n. 16. Id quidem negant quoad ultimum casum Diana & Donatus, quia, inquit, S. Pius V. non solum prohibet ingredi Januam, Claustrum, sed etiam Officinas interiores. At falluntur. S. Pius V. in 1. Bulla, *Regularium personarum* prohibet mulieribus sub poena Excommunicationis simpliciter, *ut dictas domos & Monasteria ingredi audeant*; quae autem semel ingressa ad ulteriora loca progreditur, non dicitur ingredi domum, vel Monasterium, sed ipsum perstrare. In altera verò Bulla, *Decet Romanum Pontificem*, nihil habet de Excommunicatione.

Insuper possunt mulieres ingredi in casu verae necessitatis, ut si deficientibus medicis mulier petita posset succurrere Religioso infirmanti; aut si quaesita ad necem non posset aliter evadere quam intrando Monasterium: praetertim enim Ecclesiasticum in his & similibus casibus non obligat.

Dicitur 7. *Ipsae verò Religiosae prohibentur est, ne illas intrare, admittere praesumant*. Censetur autem introducere, admittere, qui cooperantur ad ingressum, portam aperiendo, claves praebendo, jubendo, consulendo, impellendo; imò & non impediendo, si sit Praelatus, aut Janitor qui custodiam portae habeat. Quidam censent, quod ingressas detinere, saltem diutius, confabulationibus, aut deambulationibus, sit illis admittere; latius enim, inquit, patet admittere quam introducere. Equidem fateor, quod, sic diutius detinendo, ingressas admittant, & peccent; non tamen admittunt ingredientes sicut censorerit admittere, qui urbanè reciperet eas ad portam; & ideo existimamus, quod non incurrant poenas, quae videntur tantum latae in eos, qui vel introducant, vel ingredientes admittunt. Ita Sanchez, Portel, Merolla, Tamburinus, Pellizz apud Donatum, Tom. 3. Tract. 5. Q. 9.

Dicitur 8. *Sub poena privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis a Divinis, ipso facto sine alia declaratione incurrenda*. Nomine officii communis intelligitur officium habens Superioritatem & Jurisdictionem, ut Provincialatus & Prioratus, non autem simplex officium sine Superioritate, ut sunt officia Procuratoris, Lectoris, Praedicatoris, Superioris praesente Praelato. Quia sic declaravit Sixtus V. in Constitutione circa illegitimè natos. Et quamvis ibi dicat: *Declaramus, hac in re de qua agitur, appellatione dignitatum, &c. quasi significaret, se loqui tantum de isto casu, & de ista Constitutione a se edita, & non de aliis, a se vel ab aliis editis, aut edendis*; Auctores tamen communiter extendunt ad alios casus, & ad alias Constitutiones.

Sus-

Suspensio à divinis officiis est suspensio ab exercitio Ordinum. Uadè, qui in illa suspensione exerceat ex officio actum Ordinis quem habet, etiam Minoris, ut cantare Epistolam, Evangelium, Collectas in Choro ut Hebdomadarii, celebrare Missam, administrare Sacramenta, cereos deferre ut Acolythum, &c. peccet mortaliter & incurreret Irregularitatem. Dixi: qui exerceat ex officio; quia sine peccato & irregularitate exercere potest ut Laicus, si à Laico exerceat possunt, ut cereos deferre, cantare Epistolam sine vestibus sacris.

Joannes de la Cruz & Donatus volunt, quod suspensi à Divinis etiam suspendantur ab officiis, quae non sunt annexa Ordinibus, sive intra, sive extra Ecclesiam fiant, exceptis horis Canonice, quas privatim recitare tenentur. Uadè, juxta illos, qui suspensus à Divinis praesertim in Choro, cantaret Responsoria, Litanias, baptizaret sine solemnitate more Laicorum, audiret Missam, Sacramenta reciperet, acceptaret electionem, &c. peccet mortaliter, non tamen incurreret irregularitatem; quia haec non sunt actus Ordinis. At contra est Bonac. Disp. 3. Puncto 2. n. 15. & bene. Id nullibi in Jure reperitur, & videtur alienum à definitione Suspensionis in genere: definitur enim Suspendio: *Censura Ecclesiastica privans Clericum sua potestate, seu Jure Ecclesiastico*. In his autem actibus nulla potestas, aut Jus Ecclesiasticum exercetur. Et unde quæso habent, quod suspensus magis tenetur recitare Horas Canonice, quam audire Sacrum in die festo?

Petes 1. Utrum istae poenae incurrantur ante sententiam Judicis? R. Excommunicationem & Suspensionem, quia sunt Censurae, incurrunt ante sententiam Judicis; aliae autem poenae non incurrunt ante sententiam Judicis; non solum quia inhumanum foret hominem teneri se sponte prodere, se infamare, se bonis habitis privare; sed etiam quia est communis praxis & communis Auctoritas sententia, nec aliter haec & similes Leges sunt usu receptae. Neque obstat quod ponatur, *absque alia declaratione*; id etiam spectat poenam, non culpam, aut factum, ita ut sensus sit, absque alia declaratione poenae, non tamen absque alia declaratione facti, cui est annexa poena.

Petes 2. Quis possit absolvere ab istis Censuris? R. Confessarius Mendicantium extra Italiam vi Privilegiorum posse absolvere ab Excommunicatione, etsi reservata, & à Suspensione. Alias autem poenas, scilicet, privationis officiorum & inhabilitatis ad illa & alia, utpotè non reservata, tollere possunt Praelati Mendicantium: quia c. *si Clerici* de iudicis dicitur, quod in adulterio & minoribus delictis (qualis est ingressus prohibitus in Monasteria) potest Episcopus dispensare cum Clericis, peracta poenitentia, in poenis talium delictorum, quando istae poenae non reservantur: Praelati autem Mendicantium habent respectu suorum subditorum jurisdictionem quasi Episcopalem, sive sunt eis aequipollentes Episcopi.

Petes 3. Ad quem pertinet designare terminos Claustrae? Respondetur communiter, pertinere ad Praelatos Religiosorum; quia sunt illorum Judices ordinarii & Pastores. Ita Confertus, Suarez, Naldus, Ledana, quos citat & sequitur Donatus Tom. 1. p. 2. Tract. 2. q. 3. Id tamen intelligendum est, salvis Legibus Canonice Claustrae. Unde Praelatus non potest ponere extra Claustrum Claustrum integrum, Dormitorium, & Officinas interiores; quia haec de Jure continentur intra Claustrum: sed posset, meo saltem iudicio, ponere extra Claustrum quaedam alia loca, ad quae pertinet aditus per proprias portas, sine transitu per Claustrum, Dormitorium, aut Officinas interiores, ut sunt v. gr. area publica seu chors, pars horti, etiam in eorum sententia, qui tenent hortum esse in Claustrum, ut patet ex Passerino supra laudato: item quaedam officinae hoc sensu exteriores, quod à via publica immediate sit aditus, propter quaedam opera feminis propria, & quae à viris commodè fieri non possunt; sicut videmus esse in usu in pluribus locis.

Petes 4. Utrum sepes possint esse termini & limites Claustrae? R. sub distinctione. Respectivè ad egressum Religiosorum à Claustrum sepes possunt esse termini & limites Claustrae; ita ut totum, quod intra sive muros, sive sepes, circumferentiam continuam Conventus continetur, censatur respectivè ad egressum Religiosorum esse intra Claustrum; quia totum est veluti sub oculis Superioris, qui ad omnem locum factum potest accedere, neque extra ejus potestatem ponitur, qui est intra septa Conventus. Imò addit Passerinus, quod ad viros Claustrum respectu egressus sufficit, quod quomodocumque sit à Superiore designata, etiam sine muro, aut sepe, quia linea à Superiore descripta sufficit, ut in virtute Obedientiae contineat Religiosos, ne illum transgrediantur: sine licentia. At verò respectivè ad ingressum mulierum in Monasteria Religiosorum, & virorum ac mulierum in Monasteria Monialium, videtur non sufficere sepes, sed requiri muros, aut parietes ad claustrum: ita tenet Donatus. Et ratio est; quia in Concilio Aquisgrano sub Ludovico I. Imperatore statutum

Thol. Billuart Pars Tertia.

est, ut *Claustra... firmis undique circumdant munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus*; ad quod ordinariè non sufficiunt sepes, quae facile est plerumque vel frangere, vel aperire, vel transilire; atque hic videtur sensus communis. Non enim puto, mulieres, quae locum Monasterii sepius tantum claustrum intrant, cedere claustrum violasse.

ARTICULUS III.

De clausura Monialium quoad Egressum.

Dico. Nemini Sanctimonialium licet post Professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua causa legitima ab Episcopo approbata, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus. Ita in terminis Concil. Triod. Sess. 25. De Regular. c. 5. Aliter egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptores personae, sive Laicae aut Saeculares, vel Ecclesiasticae, consanguineae vel non, Excommunicationis majoris latae sententiae vinculo eo ipso ab eadem declaratione subjacent; à quo, praeterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant Ita S. Pius V. Bulla *Decoris & honestati* data 1570.

Explicatur. Dicitur 1. *Nemini Sanctimonialium*: Intelligit Sanctimonialia praesentes atque futuras cujuscumque Religionis & Ordinis, tacite vel expresse Religionem professas, etiam si conversas, aut quocumque alio nomine appellentur, etsi ex institutis, vel foundationibus earum Regulae ad claustrum non teneantur, & nunquam in earum Monasterii clausura servata fuerit Ita in terminis S. Pius V. Bulla *Circa Pastoralis*, data an. 1566.

Intelligit etiam Tertiarias, quae collegialiter vivunt & emittunt vota solemnia; quia tunc sunt verae Religiosae. Quae autem emittunt tantum vota simplicia, hortandae sunt ut emittant vota solemnia, & sic claustrae subjiciantur. Quae renunt voluntatem suam; & nulla in posterum recipiatur, nisi emittat vota solemnia, aliis nulla sit Professio. Ex eodem S. Pio V. Bulla cit.

Dicitur 2. *exire à Monasterio*. Nomine Monasterii Monialium tam quoad egressum Monialium, quam quoad ingressum saecularium, intelligitur illud spatium muro circumseptum, quod intra Januam, quae solet esse semper clausa, continetur; ita ut, ubicumque esse possunt Moniales, illic ingredi non possint Saeculares; & de converso quocumque ingredi possunt Saeculares, illic accedere non possint Moniales, ut explicavimus cum Gregorio XIII. art. 1. hujus Diss. Not. 3. Vide. Et talis egressus, vel ingressus, si sit completus, ita ut totum corpus egredientis sit extra claustrum, aut totum corpus ingredientis sit intra claustrum, juxta communem Sententiam non admittit levitatem materiae. 1. Quia cum clausura certis terminis definitur, tam illos excedit, qui ad unum aut alterum passum egreditur, vel ingreditur, quam qui longius progreditur. 2. Quia respectivè ad Moniales, videtur aequale inconveniens in distantia unius aut alterius passus, ac in majori distantia dixi, respectivè ad Saeculares; quia scio, quosdam non apprehendere tantum inconveniens in clausura virorum, dum introitus fit per portam claustrum, ideoque censent, esse levitatem materiae excusantem à peccato & censuris, si mulier per portam claustrum ingrediatur Ecclesiam, ubi porta claustrum & porta Ecclesiae non nisi paucis passibus distat. Ita P. Henno.

Verbum dato, esse minus inconveniens, subsistit tamen 1. ratio, quae videtur aequè militare pro clausura Religiosorum ac pro clausura Monialium: nisi forte dicas, Claustrum Religiosorum esse minus strictam Claustrum Monialium, & terminos Claustrae Religiosorum non esse ita fixè definitos, sicut terminos Claustrae Monialium, cum illos & non istos possint Praelati extendere, aut restringere, imò & ponere partem Claustrum extra Claustrum. An haec sufficiant solvendae 1. rationi? affirmare non asum; videant oculatores.

Dicitur 3. *Nisi ex causa legitima*. Causas legitimas assignavit & retrinxit S. Pius V. Bulla *Decoris & honestati*, ad tres, dicens, *Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis Leprosae & Epidemicae*. Sub nomine autem Leprosae & Epidemicae intelligitur omnis morbus contagiosus. Item, non obstante dictione taxativa *Nisi*, Auctores communiter extendunt ad omnes alios casus similes, in quibus eadem vel urgentior ratio militat; & sic usum receptum est. inferunt, Moniales posse exire cum licentia Superioris. 1. Propter ingruens bellum. Propter urgentem altivationem ruinam Monasterii minantem. 3. Si Monialis deputetur ad reformandum vel fundandum Monasterium, vel ut sit Abbatisa, Magistra Novitiarum, &c. in alio Monasterio, in quo ad haec munera non habeatur idonea, 4. Si Abbatisa, vel Priorissa teneatur propter feudum praestare juramentum Domino sa-

LIII

est-

culari, quod præstare non possit per Procuratorem. 5. Si velit transire ad aliam perfectionem Religionem, vel perfectionem Conventum. 6. Si Conventus necessitas exigat, ut converse exeat ad petendas eleemosynas. Quia in his omnibus casibus, & similibus agitur de bono communi; & ut dixi, ita usu receptum est. Quæ autem exeunt propter aliquam ex his causis, ea cessante debent statim moraliter redire ad Monasterium. Ita decernunt Jura cap. *Periculosa* de statu regulari in 6. & Bulla *Decori*, & *honestati* S. Pii V.

Gravior difficultas est, utrum possit concedi licentia Moniali eundi e Monasterio ob morbum non contagiosum, sed ex quo ipsi imminet periculum vite, aut diuturnæ infirmitatis, si in Monasterio curari non possit? R. plures infirmare. Quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, nisi ubi honor Dei, vel Religionis, vel magna boni communis necessitas interveniat; quorum nullum hic reperitur. Imò nec votum perpetuæ clausuræ, quod quædam emittunt, non fit ab eis sub isto rigore, nec habetur in eorum Regula, sicut habetur in Regula Carthusianorum, potius esse moriendum, quam manducare carnes. 2. Quia, si Monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter periculum evadere, quam exeundo, potest exire juxta communem Doctorum sententiam: ergo pariter in nostro casu, cum par sit ratio. 3. Denique, quia, licet Pius V. excipiens tres præfatos casus intenderit solum providere communi incommoditati Monialium, non est tamén censendus voluisse excludere ab exceptione casum, in quo violaretur jus naturale, quod quisque habet ad tuendam propriam vitam: sicut secundum communem Sententiam non excludit, ut modo dicebam, casum, quo Monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter evadere, quam exeundo.

Cæterum dato, id a Jure esse prohibitum, videtur illi quoad hoc esse derogatum, saltem in his partibus, in quibus videmus passim Moniales cum licentia Superiorum exire e Monasteriis ob infirmitates sibi solis nocivas. Nec inde sequitur inconveniens, quod extollunt Adversarii, scilicet inde laxandam omnino Clausuram.

Dicitur 4. *Nisi ex causa legitima, ab Episcopo approbata*. Approbationem Episcopi requiri pro Monialibus sibi subjectis, est extrâ dubium; ex textu Trid. cit. in Conclusionem. Requiritur autem etiam pro Monialibus ab Episcopi jurisdictione exemptis, & solis Regularibus subjectis, certum pariter videtur, stando Bullæ S. Pii V. *Decori*, & *honestati*; in qua præcipitur, licentiam egrediendi pro Monialibus Regularibus subjectis dandam esse a Superioribus Ordinibus, & ab Episcopo.

Dixi stando Bullæ Pii V. quia, juxta Bonacinam, & plures alios, quos citat, hæc Bulla non est ubique recepta, & Joann. de La Cruz Hispanus testatur, hæc Bullam in Hispania pro hac parte esse abrogatam, & Moniales cum sola licentia suorum Superiorum exire.

Secunda pars Conclusionis ex se patet. Quantum ad absolutionem ab Excommunicatione, a quo sit danda, dixi prius, dum de Clausura Religiosorum quoad ingressum.

ARTICULUS IV.

De Clausura Monialium quoad Ingressum.

Dico. Ingressi intrâ septa Monasterii Monialium nemini licet, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub Excommunicationis pena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alius ullo modo posset, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel concedendi. Ita in terminis Concilii, Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 5.

Gregorius XIII. Bulla *Ubi gratia*, & Paulus V. Bulla *Monialium* idem prohibent sub Excommunicationis pena reservata Papæ iis, qui sub pretextu alicujus indulti dicta Monasteria ingredi audent: Abbatis vero, necnon Abbatis, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque sexus personis sub eadem, & privationis suorum Officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis penis, ne ingredi faciant, aut permittant, inquit Gregorius, introducere, seu admittere, vel admissum quoquo modo retinere audent, seu præsumant, inquit Paulus V. Imò idem Gregorius ibid. sub iisdem penis ipso facto incurrendis prohibet generaliter quibusvis personis, ne pretextu licentiarum ab Episcopi, vel a Superioribus, Monasteria ipsa Monialium, nisi in casibus necessariis, ingredi, neve Moniales sub iisdem penis illas aliter admittere præsumant.

Explicatur. Dicitur 1. *Ingressi intrâ septa Monasterii Monialium*. Quid nomine Monasterii Monialium intelligatur, dixi Art. præcedenti. Dicitur 2. *Nemini licet, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis*. Intellige sub iisdem exceptionibus, quas Art. 2. appositimus ingressui mulierum in Monasterium Religiosorum. Dicitur 3. *Sine Episcopi, vel Superioris licentia*: Episcopi respectu Monialium sibi subjectarum, & Superioris Regularis respectu Monialium, a jurisdictione Episcopi exemptarum. Ita communissima Sententia contra Donatum, qui ex quibusdam declarationibus S. Congregationis contendit ultra licentiam Superioris regularis requiri licentiam Episcopi. Verum istæ declarationes, vel non sunt authenticæ, vel non sunt receptæ, aut saltem usu communi contrario sunt abrogatæ.

Per Episcopum intelligitur etiam Vicarius ejus Generalis, & Capitulum Sede vacante. Per Superiorem Regularem intelligitur Generalis, Provincialis, Prælati Localis, ut Abbas, Prior, Guardianus, &c. qui sit Monasterii Superior; non autem Abbatis, seu Prioris, nisi Prælati superior ipsi hæc facultatem delegaverit: quia illius est solvere, cuius est ligare ad solos autem Prælatos pertinet ligare, seu addicere Moniales Clausuræ, non verò Abbatis, aut Prioris, quippe quæ ipsæmet ligantur, & addicuntur.

Dicitur 4. *Licentia in scriptis obtenta*. Communis censent Auctores, licentiam in scriptis non requiri in casibus ordinariis, puta, quoad Medicos, Chirurgo, opifices, & similes, quorum opera passim indigent Moniales; sed pro his Abbatis, seu Prioris posse obtentam dare licentiam, sive ex commissione Superioris, sive præsumpta ejus voluntate; & talis est usus. Quoad casus verò extraordinarios, Navarros, Homobonus, Diana, Belochius, Pellizz, citati a Donato, censent ex Innocentio, & Abate, & Felino, dictum Concilii Trid. de licentia scriptis obtenta, intelligendum esse pro foro fori, non pro foro conscientie, quia in interiori foro animæ, in quo attenditur veritas, sufficit, quod interveniat consensus Juro naturali requisitus, qualis est, qui etiam obtentus conceditur; puta sic esse in usu, saltem in his partibus. Urbanus VIII. Bulla *Sacrosanctum* exigit insuper consentum Monialium, capitaliter datum per vota secreta; sed neque id est in usu.

Dicitur 5. *Sub excommunicationis pena, ipso facto incurrenda*. Non reservatur, nisi ingressus fiat ad malum finem. Dicitur 6. *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis*. Intellige necessitatem non physicam, & strictam, sed moralem, ut in aliis præceptis Ecclesiæ, a quorum observatione excusatur necessitas moralis. Itaque possunt ingredi Medici, Chirurgi, opifices necessarii, Superior pro visitando Monasterio, Confessarius pro administratione Sacramentorum infirmis, & hic toties quotidie exigit devotio, vel dispositio infirmæ. Denique generaliter omnes, qui requiruntur ad debitam Monasterii conservationem, seu administrationem, sive temporalem, sive spirituales.

Hæc autem necessitas moralis admittit latitudinem; minor enim causa requiritur pro concedenda licentia feminis, quam viris; minor pro matre, aut sorore, quam pro extraneis; minor ad ingredienda loca viciniore portæ Clausuræ, quam interiores Officinas.

Insuper, juxta Bonifacium VIII. cap. *Periculo*, quod innovat, & confirmat Trid. requiritur, quod causa sit manifesta, hoc est, quod non sit obscura, & dubia; nemo enim licite operatur cum conscientia dubia: sufficit tamén, quod probabilis reputetur justa, alioquin daretur locus infinitis scrupulis, & aliunde licet agere secundum probabiliorém sententiam.

Quantum ad ingrediendos sub pretextu alienius indulti, & permittentes eorum ingressum; item de ingredientibus sub pretextu licentiarum ab Episcopi, vel Superioribus, in casibus non necessariis, sufficienter explicatur in 2. parte Conclusionis.

Observatio necessaria, ad totam Dissertationem.

CUM omnia ferè, quæ hucusquè diximus de Clausura Religiosorum, & Monialium, sint Juris positivi humani, potest illi derogari per contrarium usum; ita ut, juxta Donatum, Statem, & alios, Clausura possit per usum contrarium abrogari in una Provincia, & non in alia; & intrâ eandem Provinciam in una Religione, & non in alia; imò in uno Monasterio ejusdem Religionis, & non in alio. Debet ergo unusquisque attendere ad legitimum usum suæ Provinciæ, vel Religionis, vel Conventus; videmus namquè in variis locis, Constitutionibus Apostolicis esse derogatum, sive quoad ingressum in Monasteria Religiosorum, & Monialium, sive quoad istarum egressum.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE IIS, QUÆ COMPETUNT RELIGIOSIS; NEC NON DE RELIGIONUM DISTINCTIONE.

Div. Thom. Q. 187. & 188.

ARTICULUS I.

De his, quæ competunt Religiosis.

Postquam S. Thom. tractavit de Statu Religionis, & de votis, votorumque obligatione, in quibus principaliter consistit Religio, agit de actionibus, quæ Religiosis competere possunt. Hæc questionis locum dederunt tempore S. Ludovici Francorum Regis quidam Magistri Parisienses, quorum præcipuus erat Guillelmus de Sancto Amore, qui, in nascentes Ordines Mendicantium Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum insurgentes, contendebant eorum statum esse damnabilem, & iis non licere docere, prædicare, Sacramenta administrare, & similia, neque etiam medicare, sed teneri manibus laborare; eaque de re librum edidit præfatus Guillelmus, cui Titulus, *Tractatus brevis, de periculis novissimorum temporum*. Contra quem scripsit S. Thom. Opusculum, inter alia decimum nonum, quod inscribitur: *Contra impugnantes Dei cultum, & Religionem*; & hæc præsentem Questionem 187. in Summa.

Librum Guillelmi ab Alexandro VI. fuisse damnatum, refert ex Prolomæo Lucensi Odorico Raynaldus ad ann. 1256. num. 20. Et addit num. 24. quod unus ex istis Magistris Parisiensibus Christianus nomine, morti proximus amarissimè corde contritus, recognovit nihil se, & complices suos contra dictos Ordines habuisse, nisi quod illis æquari in scientia non valerent, & ob hoc eos parvipenderent Auditores. Et subiunxit: *Quoniam nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in signum tamén, quod ex corde penitens, corpus meum apud vos Fratres Prædicatorum tradendum sepulture relinquo*.

Verum, quia iste error Magistrorum Parisiensium cum ipsis est extinctus, totam hæc questionem hoc uno Articulo breviter perstringam. Unde

Dico 1. (*Hæc q. 187. art. 1. o.*) Religiosis vi status non prohibetur docere, prædicare, Sacramenta Eucharistiæ, & Penitentia administrare, aliasque functiones Ecclesiasticas exercere: quia vi status, qui est status perfectionis, non sunt ad hæc inepti, sed e contra magis idonei, neque habent in Regula præceptum ista prohibens: ergo. Sed neque (*ib.*) etiam vi status prædictæ possunt licite istas functiones exercere: quia vi status non habent potestatem, & jurisdictionem ad illas. Ex (*ibid.*) quibus sequitur, quod licite eas exercere possunt, si ipsis a Superioribus, quibus ex officio competunt, committantur. Ex variis autem Privilegiis Summ. Pontificum eis commissum est docere, prædicare, Sacramenta Eucharistiæ, & Penitentia administrare, mediante tamén quoad hoc ultimam approbatione Episcopi.

Dico 2. (*Ibid. art. 2. o.*) Non licet Religiosis, & Clericis gerere negotia secularia, sive judicialia, sive extrajudicialia, ex cupiditate, vanitate, aut alio motivo profano; quia per hæc impedirentur a divinis contemplationibus, & exercitiis spiritualibus, ad quæ tenentur vi status. Et hoc sensu intelligitur illud Apostoli 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*.

Licet autem (*ibid.*) cum debita moderatione, secundum licentiam Superioris, ex charitate, juxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Quia in hoc ipso, quod proximis serviret propter Deum, obsequuntur dilectioni divinæ, in qua sita est perfectio Religiosa. Unde Jacobi 1. dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, id est, succurrere eis, qui carent presidio in tempore necessitatis*. Insupèr utraque pars Conclusionis habetur d. 86. cap. *Perennis*, ex Concilio Chalced.

Dixi: *cum debita moderatione*; quia sunt quædam negotia secularia, quæ omnino dedecent statum Religionum, quæ idè per se exercere non debet Religiosis, sed per alios, dirigendo, intrudendo, alloquendo, &c.

Dico 3. (*Ibid. art. 3. o.*) Religiosi per se, & secluso præcepto suæ Regulæ, si quod sit, non magis tenentur laborare manibus, quam Sæculares.

Prob. (*Ibid.*) Labor manuum est necessarius, vel ad victum quaerendum, vel ad otium vitandum, vel ad carnem maced-

randam, vel ad eleemosynam faciendam in urgente necessitate pauperum; atqui Religiosi, non secus ac Sæculares, possunt aliunde, quam ex labore manuum habere unde vivant, puta, ex possessione bonorum in communi, vel eleemosynis & beneficiis fidelium comparatis propter obsequia spiritualia ipsi præstita, docendo, concionando, Sacramenta ministrando, orando, &c. Otium vitare possunt & carnem macerare sicut Sæculares per aliud, quam per laborem manuum, nempe, per jejunia, vigiliis, orationes, & alia exercitia spiritualia. Tandem necessitas laborandi ad dandam eleemosynam non arguit nisi in pauperum necessitate, cui non possit aliter succurri, quo casu non magis obligantur Religiosi operari manibus, quam Sæculares; Religiosi enim non obligantur ad alia, quam Sæculares, nisi ad ea vi suæ Regulæ obligentur: ergo.

Dixi: *secluso præcepto Regulæ, si quod sit*. Fuit autem hujusmodi præceptum in variis Regulis, ut S. Benedicti c. 48. S. Macharii c. 10. & 11. S. Basilii Reg. 37. 38. 39. 40. & 42. & in aliis pluribus. De qua re etiam scripserunt S. Aug. *De opere Monachorum*, S. Hieronymus Ep. ad Rusticum Castianum lib. 2. Institutionum c. 3. & 5. lib. 10. ferè per totum, & Collat. cap. 11. & 12.

Observandum est, quod, cum manus sit organum organorum, per laborem manuum intelligantur omnia opera corporalia, ex quibus homines victum lucrantur, sive exercentur manibus, ut ars sartoria, sutoria, & aliæ artes fabriles; sive pedibus, ut cursores; sive oculis, ut cæcotes, & excubitores; sive etiam lingua, in ordine ad effectum corporalem, ut Architectus lingua dirigens artifices, & artefactum.

Pro solutione Argumentorum notandum est, tempore Ang. extitisse quosdam Monachos, qui dixerunt Religiosis non solum non teneri, sed nec licite posse operari manibus sine detrimento perfectionis: unde contendebant, laborem manuum etiam pro sustentanda vita esse Monachis illicitum, & ab eo abstinere sub pretextu operum spiritualium, orationis, lectionis, instructionis privatæ, &c. addentes illud Christi Matth. 6. *Ne solliciti sitis, quid manducetis*. Contra quos insurrexit Aug. lib. *de opere Monachorum*, & quos damnavit Conc. IV. Carthag. cui etiam interfuit, & subscripsit Aug.

Alii e contra, scilicet, quidam Magistri Parisienses, de quibus supra, ut Religiosis mendicantes a studio Sacræ Doctrinæ, prædicatione, Sacramentorum administratione, &c. amoverent, dixerunt, Religiosis teneri laborare manibus; quos, ut dixi, impugnat S. Thom. Opusc. 19. & præsentis articulo, apud quem utroque loco vide, si lubet, argumenta.

Dico 4. (*Ibid. art. 4. o.*) Licetum est Religiosis vivere ex eleemosynis, sive sint parvæ, & quotidianæ, sive consistant in perpetuis redditibus; quia licet unicuique vivere de eo, quod suum est; atqui eleemosynæ, ex quibus vivunt Religiosi, sunt suæ, saltem quantum ad usum, utpotè ipsis donatæ, vel mera liberalitate, vel ex aliquo debito ratione ministerii spiritualis: ergo.

Dico 5. (*Ibid. art. 5. o.*) Religiosis non secus ac Sæcularibus licitum est medicare causa humilitatis, necessitatis, & utilitatis, non causa acquirendi divitias, aut victum otiosæ. Prob. & explicatur: (*Ibid.*) *Causa humilitatis*: est enim laudabile virtutem colere; mendicatio autem, quæ habet adjunctam abjectionem, est efficacis remedium contra superbiam: ergo laudabile est, abdicatis divitiis propter Christum, medicare causa humilitatis.

Atque hoc modo mendicavit Christus (*Ibid. in arg. s. c.*) quando Luc. 2. abiit a Parentibus per triduum; quando Joann. 4. dixit mulieri Samaritanæ: *Da mihi bibere*; quando Luc. 19. petit assellum, quo ingrederetur Jerusalem; & Luc. 22. quando petiit locum, ubi celebraret Pascha. Undè illud Ps. 39. *Ego autem sum mendicus, & pauper*; ubi dicit Glossa: *Hoc dixit Christus de se ex forma servi*. Sic etiam mendicaverunt Apostoli, & Apostolici viri; sic plures Sancti, S. Fabiola apud Hieron. B. Arsenius in vitis Patrum, S. Alexius toti orbi notus.

Causa necessitatis, (*Ib. o.*) ut cum quis non potest habere unde vivat, nisi mendicando. *Causa utilitatis*, ut eum